

# SCRIPTA

---

**Numéro Scripta :** 227

**Autre(s) référence(s) :** Tabuteau 26

**Auteur(s) :** Robert Courteheuse, Normandie (duc)

**Bénéficiaire(s) :** Dijon, Saint-Bénigne (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1106, 24 mai

**Lieu d'émission :** Bayeux

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Robert, duc de Normandie, confirme la donation faite par Odon, évêque de Bayeux, à l'abbaye Saint-Bénigne de Dijon.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Odon de Conteville, évêque de Bayeux : son rôle au début de la première croisade (suite et fin)*, *Revue catholique de Normandie* n° 10, 1900, p. 283-284.

Texte établi d'après a

In nomine Sancte et Indiuidue Trinitatis. Ego Rotbertus dux Normannorum. Etsi cum maiora a Deo acceperim in maioribus, illa deberem ministrare, in hoc tamen quantulumcumque sit anime mee et parentum meorum volens saluti consulere. donum quod patruus Odo Baiocensis episcopus contulit Deo et Sancto Benigno Diuionensi, abbati Ierentoni et fratribus Diuionensibus et successoribus eorum, monasterium videlicet Sancti Vigoris de monte Chrismatis cum appendiciis suis, nostri assensus manum dans, quanta possum nostræ concessionis auctoritate corroboro, dans et confirmans monasterium ipsum ecclesiæ Diuionensi in perpetuum. Et ut hec concessio firma et inconvulsa permaneat, do prefato monasterio Sancti Vigoris quam possum libertatem. videlicet omnes consuetudines per totam terram meam, que ad me pertinent de dominicis meis rebus tam in passagio et theloneo quam in ceteris exitibus ; et de meo proprio in cotidiano usu fratrum Diuionensium ibidem Deo seruientium onera quattuor asinorum singulis diebus, de viridi ligno in nemore meo Verneio. Hoc autem priuilegium trado Diuionensi ecclesie iure sempiterno ut nullus audeat hanc nostre concessionis cartam infringere, sed semper ecclesia Diuionensis pro sue religionis merito venerabilis nobis et heredibus nostris locum ipsum Sancti Vigoris cum appendiciis quiete possideat, secure habeat, absque inquietudine sine calumpnia, salua reuerentia et debita obedientia sancte Marie matris Baiocensis ecclesie. Quisquis autem de terra mea aliquid de suo monasterio præfato tradiderit, id sibi ratum fore concedo, ne occasione iuris mei ullomodo possit reuocari. Et qui se et terram suam Sancto Benigno et Sancto Vigori tradiderit, ab omni curie mee seruitio liber erit nec tenebitur obnoxius seruitiis nostris, sed in dominicatura abbatis et fratrum Diuionensium erit solutus et liber in perpetuum. Quicumque vero hoc nostre mansuetudinis donum infringere et hanc cartam violare præsumpserit, fisco publico mille auri libras coactus exsoluat, et quod petit euindicare (?) non valeat, sed insuper, nisi resipuerit, iram Dei omnipotentis incurat.

Signum Rotberti ducis Normannorum. †Ego Odo Baiocensis episcopus cartam hanc laudo et manu propria signum faciens subscribo. S. Willelmi decani.

Sign. Willelmi de Archis Monaci † Rodulfi archidiaconi S.

Sign. Engelranni filii Elberti. S. Helgodi archid.

Sign. Willelmi de Bretulio. Signum Willelmi † de Columberiis. S. Roberti de Tribus Montibus.

Sign. Willelmi de Similiaco.

Sign.

Anno ab incarnatione Domini Mo Co VIo. Indictione IIII. Concurrente VIIo. Epacta XXa IIIa. Xo VIIIo anno principatus Rotberti Guillelmi regis Anglorum filii, ducis Normannie, hec carta firmata est et sigillo meo signata. Actum publice Baiocas mense maio, die XXIIII. VIII kalendas iunii. Luna XXa VIIa. Cyclo decemnouennali Xo IIIIo. EGO HUGO DIUIONENSIS ECCLESIE MONACHUS, IUSSU EIUSDEM ROBERTI DUCIS NORMANNIE SCRIPSI [3 ou 4 mots illisibles] CANCELLARII ROBERTI.